6.

DE MORBIS E SUPPRESSA CUTIS FUNCTIONE ORIUNDIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XII. M. JANUARII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

BERNARDUS MARTZELLER

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

GUST. BOISSERÉE, MED. ET CHIR. DR.
GUIL. KOENIG, MED. ET CHIR. DD.
LEOP. SCHUETZ, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS,

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

[illegible]

PIO GRATOQUE ANIMO

[illegible]

[illegible]

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Difficultates multas in eligenda materia, quae dissertationi describendae inserviat, tironi occurrere, neminem Aesculapii filium fugit. Novi quidquam et inauditi in lucem proferre non licuit, operae tamen pretium esse duxi, morbos e suppressa cutis functione oriundos colligere, atque singulis, quantum liceat, observationes addere. In adumbranda hypochondria diutius moratus sum, quoniam eam pluries atque accuratius observandi, ac therapiam, quae in quavis specie cum fructu optimo adhibenda sit, comparandi occasio oblata fuit. Sub finem duas morborum historias, qui e fonte supra memorato orti maximi momenti

mihi videntur, quosque in nosocomio Caritatis observavi, hisce pagellis adjunxi. Lectores benevoli, hasce pagellas indulgente excipiatis animo, et quae vituperanda inveneritis, humaniter excusetis, rogo et obsecro.

TRANSSPIRATIO CUTIS.

§. 1.

In cute praeter evaporationem stricte dictam sebi secretio in folliculis sebaceis evenit (1). Partes evaporandae aëreae praecipue exhalitu aquoso et gase carbonico constant, quae producta cum iis pulmonum exhalatione ortis admodum consentire, jam ex eo patet, quod in canibus pulmonum exhalatio sudoris loco fungitur. Cutis autem transspiratio variat pro vigore vitali, ingestis, morbis, atque aliarum secretionum conditione. Quod ad vigorem vitalem, et systema nervorum et systema vasorum in cutis secretionem magni sunt momenti. Vita nempe in parte centrali systematis nervosi vel nimis aucta vel diminuta, nervi peripherici cutis functioni rite praeesse non valent. Turgorem vitalem cutis amittit, sicca, laxa, exilis reperitur, evaporationis producta non satis copiosa eduntur. Qui status haud raro in fatuis deprehenditur. In febri nervosa gastrica cerebri quoque affectionem nervorum cutaneorum hebetat. Evaporanda materies in sanguine retinetur, cujus copia eadem celeritate, qua singulae

(1) Joh. Mueller's Physiol. des Menschen. Cobl. 1834.

vitae functiones procedunt, accrescit. Perversa haece humorum qualitate, praecipue vero eorum accumulatione in cerebro caeterisque cavitatibus, cum haud normalis copia sanguinis ad cutem affluat, per quam evaporet, potentia sensorii deprimatur necesse est. Hanc ob causam saepenumero eventus maxime insignes in febri nervosa gastrica occurrunt, siquidem superfusionibus frigidis cutis evaporatio in integrum restituitur. Magnum nempe irritamentum in cutem exhibent illae superfusiones, excitando nimirum ejus nervos; qua ratione sensibilitas cerebri nimis aucta derivatur; simul quoque cutis temperies diminuitur, ita ut materiae gasiformes in eadem praecipitari possint et sudor exoriatur. Subito deliria cedunt ac inquies, somnus accedit, ex quo aegroti persaepe mentis plane compotes expergefiunt.

§. 2.

A normali systematis vasorum actione haud minus normalis conditio evaporationis cutaneae pendet. Nimis hocce systemate excitato, cutis secretio impeditur, aut plane tollitur, praecipue si humorum adfluxus ad cutem adeo augetur, ut subphlogosis exoriatur, id quod combustione et exanthematis acutis provocatur. In utroque casu partim sanguinis accumulatio, partim sequelae inflammationis organorum primariorum vitae finem faciunt. In cholera morbo cutis conditionem maxime singularem offert; laxa, pallida, rugosa ac plicata, praecipue in extremitatibus, pendet, omni turgore vitali privata; quem statum et systemate nervorum et systemate vasorum, quorum actiones neutiquam separari possunt, afferri constat.

Initio erethismus systematis nervosi, praecipue nervi sympathici, adesse videtur, qui vero brevi in paralysin transit; quapropter initio humorum fluxus nimius ad tubum intestinalem allicitur, dein vero, paralysi exorta, cordis propellendi vis opprimitur. Respiratio aeque ac cutis functiones imperfecte peragitur, qua causa sanguis nimis venosus redditur, atque accumulationes in majoribus cavitatibus existunt, quae mortem inevitabilem inferunt. In hoc quoque morbo apta cutis curatio summi est momenti atque eventum prosperrimum persaepe inducit.

§. 3.

Respectu ingestorum adnotandum mihi est, cibis e regno vegetabili captis praedominari carbogenium; e regno autem animali azoticum. Multa medicamina, e. g. moschus, camphora, sulphur, cutis evaporationi odorem impertiunt. Variis in morbis perversa humorum mixtione sudores locales specifici odoris exoriuntur, quibus natura sanguinem a materiis vitiosis purgare studet.

Cutis evaporationi cujuslibet hominis singulare quidquam inesse contendo, etenim hac tantummodo ratione, canes vestigia domini insequi posse, interpretandum est; inde quoque derivandum esse, physiologus quidam celeberrimus (1) censet, quod interdum hominem, quem prius nec vidimus nec ullo modo cognovimus, ferre nequeamus.

§. 4.

Cutis evaporatio quoque cum secretione tubi

---

(1) Tiedemann in praelectionibus.

intestinalis, renum ac pulmonum intimam necessitudinem alit; ita ut una suppressa altera adaugeatur. Organismus autem non solus, verum etiam aër ambiens, in exhalationem cutis magnam exserit vim. Aër siccus evaporationem auget, aëre exagitato altiusque demisso liberalior fit transspiratio (1).

In transspiratione Edwards (2) ea discernit, quae evaporationi physicae adscribenda, quippe quae etiam in cadavere sub iisdem conditionibus eveniant, atque ea, quae functioni cutis vitali adnumeranda sint. Productum evaporationis physicae fere aqua mera, organicae autem particulae animales sunt. Evaporatio physica supprimitur aëre humoribus saturato, ac renes vicariam secretionem suscipiant necesse est, quapropter magna copia urinae aquosae mittitur; corpore autem refrigerato, evaporatio organica plane cedit.

Aestuatio et refrigeratio cum evaporatione arctissimum alunt commercium. Aër humidus calidusque plus calefacit quam siccus ac calidus, cum ille plus communicet caloris atque evaporatio physica non tanta sit; aër vero humidus frigidusque plus detrahit caloris, quam siccus et frigidus, cum melius calorem conducat. Transspiratorum pondus inter 1—5 ℔. per horas viginti quatuor secundum experimenta Seguini (3) variat. Digestione prava diminuitur

(1) Froriep's Notizen. 150. 151.

(2) Edwards de l'influence des agens physiques sur la vie. Paris 1824.

(3) Mém. de l'Académie des sciences. 1790.

Annales de chim. T. 90.

Meckel's Archiv. 3. 599.

pondus, et natura magnam humorum partem, qui digestione integra ad cutem adfluunt, ad tubum intestinalem deducere videtur, quibus digestio moveatur. Digestione bene procedente ciborum copia in evaporationem effectum valde exiguum exhibet.

§. 5.

Nunc morbos, qui in suppressa cutis functione radices agunt, pro viribus exponere, eorumque therapiam, quoad licet, stabilire conabor.

Morbi abdominales chronici, qui nostris diebus celerrime occurrunt, non solum abnormi cutis functione nascentes aluntur, verum etiam diversa illius conditio haud parum confert ad diagnosin et therapiam certae speciei constituendam. Duas esse horum morborum species, medicis veteribus jam placuit; quarum alteram, si morbi causa in immutatione qualitativa, aut accumulatione locali in organis abdominalibus posita est, Plethoram abdominalem, haemorrhoides immaturas, infarctus, hypochondriam cum materie nominarunt: alteram autem, si alienatio systematis nervosi mere dynamica exstat, praecipue gangliorum abdominalium ratione habita, hypochondriam sine materie dixerunt. Recentioribus temporibus in maximam aegrotantium salutem morbi e systemate nervoso oriundi longe accuratius atque acriore ingenio indagati sunt; plures autem auctores eo sunt progressi, ut nullum horum morborum discrimen statuerint, sed solam causam in supra memorata sanguinis alienatione et qualitativa et quantitativa, praecipue in abdomine, sitam crediderint, ideoque therapiam remediis resolventibus, aquis medicatis et similibus absolvendam

contenderint. E scriptis virorum illustrium, qui rem acu tetigere, praecipue autem e morbi casu, quem in viro mihi amicissimo observare, quasque observationes in aliis repetere licuit, persuasum mihi est, duas esse hypochondriae species, quae, licet utraque sit cum materie, tamen respectu originis atque therapiae longe discrepent.

Utraque in vitio tam copiae sanguinis mixtionis in organis abdominalibus, una cum alienatione systematis gangliorum, consistere videtur. Prima species ex vitiis, quibus plethora abdominalis venosa nascitur, originem trahit et mox systema nervorum in sympathiam vocat. Veteres hanc speciem hypochondriam cum materie dixere. Altera species in systemate gangliorum male affecto radices agit, cum vero justa tantum nervorum actione processus vitae plasticae rite procedere possint, et humorum mixtio et motus mox peccent, necesse est. Huic speciei nomen antiquum, licet prorsus ineptum, hypochondriam sine materie tribuamus, ac primum ipsius originem enucleare experiamur. Jam aetate puerili vita genitalium praemature incensa ejusque sequelae, onania et pollutiones immodicae, hujus morbi fundamenta struunt. Coeundi desiderium partim nervosa constitutionis indole fovetur, partim uberiore imaginationis cultu movetur. In hominibus justo sensilioribus sexus utriusque evolutio magno cum periculo et corporis et animi conjuncta est. Vita genitalibus inflata per consensum cerebrum excitat, quam ob causam phantasia, aequilibrio in mentis partibus sublato, sum-

tibus aliarum animi facultatum parasyti luxuriantis adinstar evolvitur.

Inter causas occasionales librorum lectio, maximi est momenti. Non solum fabularum Milesiarum studium, verum etiam omnium scriptorum, licet optimi sint argumenti, et aetati maturiori jucunditatem utilitatemque praebeant; animos juveniles imaginibus fictis, miris, suavibus, at omni veritate destitutis, explent, quippe qui, iis effoeminati, ab omni mentis labore strenuiore abhorrentes, justamque vitae disciplinam respuentes, imaginibus incertis fingendis dilectari, multo jucundius habent. Mens tandem, periculi sui memor, rarius imaginationis imperium effrenatum compescere valet, vitae tamen usu finibus arctioribus sensim sensimque coercetur, characteri autem vestigia vitae pristinae imprimuntur, quae deleri omnino nequeunt. Ampla rerum adumbratio, sed oblato primo impedimento animi dejectio et propositorum cita vicissitudo characterem talis hominis insignem faciunt. Vita vegetativa haud minus afficitur; cum exaltatione cerebri major humorum copia organis vegetativis detrahatur, praetereaque exaltatio illa cerebri, praesertim cum desiderio inexpleto conjuncta, magnum in utramque partem centralem systematis nervosi diffundat necesse est erethismum, in nervum nempe sympathicum et medullam spinalem. Qua irritata, pollutiones uberiores efficiuntur, quae perniciosiores quam ipsa onania mihi videntur, cum in onania seminis ejaculatio praecipue irritationem localem insequatur, in pollutionibus autem nimiam cerebri excitationem, quae libidinosas procreat imagi-

nes. Pari gradu cum sensilitate aucta reagendi vis diminuitur. Musculorum robur frangitur, vox debilior et rauca, cutis laxior ad sudores propensior evadit. Sensim hicce erethismus organa petit. Sensus molestus ac fixus aegrotum ad cibos praecipue irritantes capiendos impellit, quibus breve tempus oblectatur, mox autem majore molestia et oppressione epigastrii, aegrotis sensilioribus ad fastigium anxietatis increscente cruciantur. Abnormi nervorum ventriculi conditione mox ejus secreta immutantur saepiusque acidis abundant, quibus fames canina exoritur. Ciborum cupiditas aegrotantes assidue fatigat, cui ni resistant, anxietas et molestia supra memoratae insequuntur. Alvi excretio tarde, tamen quotidie, evenire solet, irregularis alvus sensum infert molestissimum, sensorium commune alienatum aegris miserrimis malorum diversorum agmen consummat. Hominum judicium de corporis et animi statu licet rectum sit, sensilitatis tamen excessus, animi turbas, insaniae proximas, excitat, cum aegroti resistentiae externis rebus praestandae impares sese putent. Altera species aetate virili saepissime occurrit, apud viros praecipue robustiores constitutionis, qui cibis copiosis et succulentis fruuntur, nec non spirituosis, vitam degunt desidem, parum sub divo obambulant et quorum animi vires certis negotiis non satis occupantur, quare major humorum copia paratur, quam quae organismo sit necessaria ad vires animi et corporis restituendas. Digestio plerumque integra manet, paucis post coenam molestiis exceptis. Alvus

tarde et raro deponitur, nihilominus excretione per dies dilata incommoda exigua tantum nascuntur.

Cum languore tractus intestinalis cutis functiones intime conspirant. Cutis griseo luridoque colore conspicua, sicca, contracta, exilis, densa apparet. Et tractu intestinali et cute male agentibus, materia hydrocarbonica, utraque via eliminanda, in sanguine retinetur, ad quem purgandum naturae conamina interdum perspicua fiunt; partim in hepate adaucta bilis secretione, partim in cute sudoribus specificis localibus et periodicis, partim haemorrhoidum fluxu periodioco. Quo vitio circulationis mixtionis sanguinis systema nervosum male afficitur, initio enim ad majorem alacritatem incitatur, ut et copiosiori chylificationi et sanguificationi respondeat, dein autem in torporem abit. Si quoque systema cerebrale aegrotare coepit, animi affectiones numquam turbis tam vehementibus, quam in alia specie, insigniuntur. Coenaesthesis alienata varios quidem morbos simulat, quibus fallaciis autem mens minus obfuscatur. Saepe vero utramque speciem non plane simplicem observamus.

Interdum jam aetate puerili hereditate plethora abdominalis venosa nascitur, quo in casu symptomata speciei secundo loco descriptae magis respondent. Simili ratione aetate virili animi affectiones, aliaeque calamitates, assiduae lucubrationes, morbi formam constituere valent, quae medium inter utramque speciem teneat. Quamvis facillima hujus speciei diagnosis, tamen rara atque difficilis perfecta sanatio.

Curationis eventus maxime pendet a diagnosi

bene stabilita. Hypochondriasi cum materie laborantes, constitutione robusta ac digestione haud nimis prava praediti aquis medicatis, quas fontes Carolinenses et Mariani praebent, utantur. Hujusmodi aegri plerumque appetitu carent, quoniam organa in regione epigastrica posita sanguine venoso scatent, quare secretionum perturbationes insequuntur. Hominibus plethoricis aetatis juvenilis, vel uberiore sanguinis fluxu ad singularia organa, vel ipsa horum organorum subphlogosi laborantibus, aquae medicatae Marianae maxime sunt salubres. Aquae autem medicatae Carolinenses corporibus senioribus, tum praecipue, cum mutationes organicae, sive hypertrophia sive induratio, et hepatis et lienis adpareant. Hoc vero maxime adnotandum est, organa ad certum quendam gradum mutata hisce aquis resolvi quidem, minime autem ad pristinam texturam redigi posse, qua de causa hujusmodi aegri hisce aquis utentes hydrope opprimuntur. Aegris autem sensilioribus, digestione prostrata laborantibus, assimilandi vis resolventibus harum aquarum virtutibus par esse nequit.

Aqua Kissingensis et Franciscana hoc in casu in usum vocari possunt, quippe quae, quo gradu resolvunt, eodem partibus ferreis, quas continent, digestionis apparatum roborent et firment. His medicaminibus mali hypochondriaci altera species major ac gravior redditur. Plethora venosa per momenta quidem tollitur, mox autem redit, quod excretionibus vigor tractus intestinalis diminuitur.

Harum aquarum, pro balneis adhibitarum, usus

aeque noxius evadit: cutis magis magisque relaxatur, dispositio ad ejus perturbationes increscit, quamquam per spatium, quo aegroti balneis utuntur, affectiones rheumaticae cedunt.

Hisce corporibus remedia resolventia nil nisi damnum adferunt, cum iis opus sit medicaminibus, quae alacritatem et vigorem totius organismi ad normam reducere valeant. Nullum invenias remedium solemnius balneis maritimis, quae effectum et in animum et in corpus vel maximum exserunt. Undarum impetus et salinae partes, quas continet aqua maritima, et chemice et mechanice organismum adgrediuntur atque ad reactionem normalem incitant, qua ratione maxime cutis vita evehitur. Hac ipsa cutis conditione plerumque contingit, ut hypochondria cum materie affecti balneis etiam maritimis maximo cum fructu utantur, quoniam ea materia, quae alias per alvum excernenda fuisset, nunc cutis transpiratione adaucta aufertur. Quum mirum videri possit, tantam materiae copiam transpiratione educi posse e sanguine, notandum habeo, hanc transpirationem continuam esse. Cum igitur sola balnea maritima hypochondriam sine materie ad gradum altiorem evectam tollere possint, persuasum mihi habeo, eadem ejusque hypochondriae cum materie curatione secundaria radicitus mederi posse. Vel maximi momenti vis habenda est, quam conspectus maris grandiosus liberiorque vita, quae ibi locorum agitur, in animum aegrotantium exhibet: contra vallium angustiae, quibus fontes medicati continentur, lugubria loca, ambulacrorum simplicitas, strenua vitae disciplina, a

medicis praescripta, luxus et elegantia ex urbe in agrum transplantata animum aegrotantium plus deprimant quam reficiant necesse est.

§. 6.

In regionibus nostris borealibus haud minus frequenter cutis functione suppressa Rheumatismus oritur. Materiae, quae transpiratione ejiciendae sunt, si retinentur partim musculorum partim nervorum fasciis, partim membranis synovialibus, partim telae cellulosae insidentes, varias Rheumatismi formas excitant. Si membranas synoviales aut musculorum fascias occupant, vel febrem rheumaticam vel chronicos dolores rheumaticos gignunt; si nervorum fascias aut neuralgia, praecipue tic douloureux Fothergilli, prosopalgia, ischias nervosa Cotunni, aut vera paralysis nascitur. Tela vero cellulosa hac materie triplici modo mutatur: aut ad necrosin perducta, pseuderisypelas, cujus primo Ill. Praeses Rust mentionem fecit, procreat, aut suppurationem benignam, quam abscessus rheumaticus insequitur, aut hypertrophiam telae cellulosae, cujus exemplum rarissimum morbi historia, quam subjeci, praebet. Sententiae supra dictae largior sudorum eruptio cutisque madida in hominibus rheumatismo chronico laborantibus adversari videntur, quippe quibus nullum paretur levamen. De hac autem re Edwardi perscrutationes nos edocuere. Sudores uberiores in primo febris rheumaticae stadio et in rheumatismo chronico transspiràtione physica producuntur, ita ut organica manéât suppressa.

Si membranis mucosis insident, catarrhum aut nasa-

lem, aut pulmonalem, aut canalis intestinalis movent, qui quidem ad gradum altiorem evectus blennorrhoeam, numquam vero tubercula gignere potest.

§. 7.

Atrophia infantum, quae prae omnibus inter pauperes occurrit, maxime domiciliis frigidis ac humidis, neglectae simul cutis curationi originem debet. Nutrimento pravo, quod digestione tenuiore infantulorum subigi non potest; retentione materiarum in sanguine humorum mixtio ita alienatur, ut natura materias vitiosas submovendi conamina instituat. Praecipue in organis pectoris atque abdominis hanc deponit materiam, velut massam tuberculosam, quae in pectore phthisin tuberculosam, in abdomine atrophiam glandularum mesentericarum gignit. Suppressam cutis functionem in atrophia dicta maxime esse accusandam, effectu patefit prosperrimo, quem balnea, teste experientia, praestant. Phthisis tuberculosa quamquam alacriore cutis functione sanari nequeat, suppressam tamen ejus functionem ad originem pro ducendam multum valere, ex eo apparet, qnod hicce morbus in terris calidioribus rarius occurrit, immo phthisi tuberculosa laborantes in terris hisce morantes valetudine longe prosperiore gaudent. Infantuli quoque diathesi hereditaria praediti sub coelo mitiore incolumes servari possunt.

§. 8.

Retentis materiis evaporandis, rebus externis faventibus, humores ad putredinem reddi propensos morbus scorbuticus probat. Nutrimenta, sale condita ab indole organismi abhorrentia, ad scorbutum procrean-

dum plurimum valere constat; suppressam autem cutis functionem causam occasionalem esse habendam, ex eo apparet, quod nautae maria borealia perlustrantes et malefici, carceribus subterraneis inclusi, praesertim corripiuntur.

§. 9.

Morbus, qui quoad genesin cum antecedente valde congruit, Stomacace dicitur.

Materiis retentis membrana mucosa partim tubi intestinalis irritatur, partim sanguis in dissolutionem abire coepit, inde et signa sordium primarum viarum et haemorrhagiae, quae ex ore, et ex ventriculo, oblato vomitorio, una quoque cum urina insequuntur. Quare remedia in cutem agentia, sordesque removentia, optimo cum fructu adhibentur.

§. 10.

Inter exanthemata, quae, et functionibus organorum gastricorum et cutis turbatis, procreantur, herpes praecipue est notandus. Littorum maris borealis accolae, qui piscibus salitis pro victu quotidiano utuntur et saepius madefacti refrigeriis submittuntur, hoc malo prae omnibus afficiuntur. Partes acres in sanguine natae natura, secretione saluberrima in cute apparente eliminare studet, qua de causa nisi totam vitae rationem immutare liceat, curatio hujus exanthematis arte instituta maximam perniciem adfert. Blennorrhoea pulmonum, affectiones hydropicae etc. insequi solent.

Quodsi autem vitae ratio mutetur, decoctum Zittmanni et balnea tepida quam maxime consiliis therapeuticis respondent.

§. 11.

Dysurias et strangurias summis doloribus conjunctas persaepe rheumaticae indolis esse ac e sola cutis functione suppressa ortum ducere, neminem fugit. Ioerdens(1) eas sola refrigeratione regionis pubis braccis nimirum delapsis cutemque non satis tegentibus exortas vidit et calefacta regione vesicalis remediisque adhibitis sudoriferis feliciter sustulit.

§. 12.

Cutem in omnibus haemorrhagiis aliquas partes agere notum est.

Siccitas universalis ac frigus, una cum horripilatione cutem tenens sanguinis recessum e cute ad organa interiora semper manifestat. Quo magis inculta et impermeabilis cutis, quoque diutius refrigeratio in eam egerit, eo major et intensior refluxus. Medicamina sanguinem sistentia, adstringentia atque refrigerantia fructu carent, ni cutis spasmum opio, remediis sudoriferis, balneis tepidis, atque calore conclavis, quod derelinquere non licet, auferre, atque promtam cutis transspirationem restituere valeamus. In melaena, vomitu cruento, haecce curandi methodus praecipue est adhibenda, ea vero, quae medicamina purgantia et clysmata exhiberi jubet, perquam restringenda.

§. 13.

Morbi inflammatorii ea aëris conditione grassari solent, quae transspirationem maxime supprimit. Quae suppressio praecipue ventu exsiccante Austro cutis poros recludente, occurrit, ac hieme acriore

(1) Hufeland's Journal Band. 17.

praegressa; sanguis a cutis superficie ad organa interna repellitur, ibidemque in ramulis subtilissimis accumulatur, unde inflammatio localis nascitur, quam medicaminibus diaphoreticis, vesicatoriis largiore sanguinis detractione optime debellamus.

§. 14.

Quaenam mala pedum sudores suppressi gignere possint, neminem latet; descriptionem vero illorum malorum praetermittere liceat, ne praefixos huic opusculo cancellos longius excedere cogar.

I. MORBI HISTORIA.

Carolus Roericht, cerdo, 46 annos natus exeunte mense Octobri anni 1836 in nosocomium Caritatis Berolinense ob intumescentiam cruris sinistri receptus est. Aegrotus statura erat media, os colore lurido insigne, facies certum morbum licet non indicaret tamen laxior et magis collapsa, quam illius aetati congrua apparebat. Major et musculis et cuti gracilitas et flacciditas erat, quam hominum e classe operariorum esse solet. Totum corpus turgore vitali carebat.

ANAMNESIS.

Aegrotus parentibus usus erat robustis, sanis, morborum hereditariorum expertibus, ipse morbis infantilibus liber manserat. Evolutio justo tempore, justaque energia processit, ita ut juvenis validus militia annis 1813, 1814, 1815 fungeretur. Ineunte bello et scabie affectus et in itinere eadem liberatus est. Milites scabie laborantes vespere in unum domicilium coacti, multoque calore foti, perunguebantur unguento

ipsis ignoto; qua curatione adhibita, malum brevi cessit. Anno 1815 aegrotus ulcere syphilitico infectus est, quod quamdiu perstiterit quomodo curatum sit, nostrum fugit.

E bellis redux doloribus rheumaticis extremitatum inferiorum vexabatur, qui haud dubie vitae ratione ad hoc usque tempus eadem intensitate protracti erant. Ante annos quindecim exanthema in extremitate superiore erupit, quod aegrotus hisce fere verbis describit:

In cute rubefacta apparuere vesiculae liquore limpido impletae, quae ruptae crustis obtegebantur. Sensum corrodentem exanthema in cute excitavit et balneorum usu prorsus depulsum aliquod tempus ad membrum prius affectum rediit. Ante annos undecim aeger febri intermittente quartana laborabat, cujus paroxysmi post hebdomadas tres cessere, quin perspicuae valetudinis turbae restarent. Aetate virili haemorrhagiam ex ano, cui dolores regionis sacralis, plumbea artuum gravitas, vertigo, plures per dies antecessere, qua sedata aeger majore alacritate gaudebat. Ex quo haemorrhoidum fluxum certa per intervalla, nimirum quatuor aut sex hebdomadum observabat. Novissimis diebus fluxus e sueta norma recessit, quin certae vicissitudines inter eum et tumorem exortum inveniantur. Functio systematis chylopoetici nunquam turbata, appetitus bonus, nulla post coenam molestia, quotidie alvi excretio normalis, nec urinae quidem se- et excretio ullo modo vitiosa. Cutis vero transspiratio tarde procedebat, sudor universalis rarus atque difficilis, sudores locales nec in re-

gione axillari, nec in pedibus unquam sunt observati, ceterum neque Veneri neque Baccho se nimis deditum fuisse aeger contendit.

STATUS ET FORMA TUMORIS.

Jam per aestatem anni praeteriti aegrotus de infirmitate extremitatis nunc affectae, quae fatigatione celeriore atque debilitatis sensu manifestabatur, questus est. Sub finem mensis Octobris crus intumescere coepit, ita ut intumescentia genu paucis diebus magnitudinem capitis infantilis assecuta sit. Inde ab articulo pedis per crus dimanans supra genu tumor diffundebatur. Tactu inveniebatur elasticus atque calidus integumenta rubicunda apparuere, nec dolor nec motus impeditus, flexio articuli genu sono crepitante insignis. Valetudo universa prospera. Aegroto in nosocomium Caritatis recepto, fomentationibus aliisque medicaminibus adhibitis intumescentia usque ad genu intra dies novem evanuit, ubi vero adeo tenaciter remanebat, ut unguento cinereo, emplastro tartari stibiati, involutionibus, immo moxis absque eventu perfecto uteremur. Extremitatum autem functiones et vires aeger ita recuperavit, ut mense Martio e nosocomio dimissus negotiis suis fungi posset. Sub finem mensis Septembris, debilitate extremitatum praegressa crus denuo tumuit, atque celeriter ad magnitudinem pristinam increvit. Nunc intumescentia magis crure limitabatur, articulis et genu et pedis liberis. Obtinet autem totum ambitum cruris, ita ut forma non nimis mutata sit. Intumescentia tensa et elastica, magis diffusa, uno in loco manifesta fluctuatio, tem-

peratura modice adaucta, integumenta passim rubicunda, flectendi et movendi facultas sublata. Crepitus inter flexionem articuli genu jam per distantiam auditur. In facie anteriore cruris, supra ipsum pedis articulum cutis per latitudinem duarum circa manuum fusca atque crustis parvis obtecta. Aeger hunc locum ocreis pressum, dein excoriationes esse sequutas atque exanthema supra memoratum erupisse, affirmat.

DIAGNOSIS.

In stabilienda diagnosi, quaestio obtruditur, utrum morbus vitiis localibus, an causae universali originem debeat, quae causa vel e dyscrasia specifica, vel e functione abnormi systematis gravioris et amplioris pendere potest. In statuenda dyscrasia speciali, si qua erat, aut steatomatosa, aut fungosa, aut sarcomatosa degeneratio ossis et partium mollium fuit suspicanda. Quae diagnosis vana apparet, si ortum subitaneum, partialem tumoris involutionem et localem affectionem in mentem revoces. Nam in fungo medullari, quae e tribus dictis sola verisimilitatis quidquam habet, intumescentia magis circumscripta, passim fluctuationem, passim tensam elasticitatem praebens. Haud magis vitiis localibus origo adscribenda est, quum subitaneus quidem ortus maximi sit momenti, attamen externum momentum causale inveniri non possit. Si perpetuam in aqua commorationem pro causa habeas, meditandum est, hancce injuriam jam per vitae dimidium aequabiliter in utramque extremitatem influxisse.

Licet frequentiores refrigerationes maxime sint

aestimandae tamen minime effectu locali, sed functionibus graviorum systematum alienatis hanc intumescentiam gigni posse, constat. In humore diuturno et languoris et flacciditatis cutis causa ponenda est, materiae hydrocarbonicae in sanguine retentae origini plethorae abdominalis venosae maxime favebant. Naturae conamina ad illas removendas inductis exanthematis herpeticis manifestabantur. Multo autem jure objeceris, exanthema nimis diu ante esse exortum, celeriusque sine turbis sanitatis gravioribus evanuisse, quam ut in morbum praesentem habere potuerit efficaciam; cortici potius coriario, substantiisque aliis, in putredinem versis, causam tribui oportet. Sed ipsa subitanea deflorescentia exanthematis, causa adhuc perdurante, mihi persuadet, illis momentis irritantibus exanthema minime esse ortum, sed conamine vere critico naturae. Exanthema enim chronicum hoc modo natum neque internis neque externis medicaminibus tolli potest causis noxiis perstantibus. Hanc ob causam depositione materiarum, quae cutis evaporatione eliminandae erant, tela cellulosa ad degenerationem haud dubie hypertrophiam adacta est. Refrigerationes saepius repetitae causam praebuisse, crepitus articulorum, qui affectionem articulorum rheumaticam semper concomitatur, satis edocet. Debilitas quoque extremitatum nil nisi affectio rheumatica fuit, utraque vice genio epidemico rheumatico exorta.

PROGNOSIS.

Dubia eam ob causam existimabatur, quod intumescentia diutius perdurante, os quoque laborare suspicandum erat.

CURATIO.

Quum existimandum esset, et totius organismi adesse alienationem, et malum ipsum cutis languore exortum, dec. Zittmanni et involutiones optimo fructu adhibita sunt.

II. HISTORIA MORBI.

Carolus Liebig, sartor, triginta annorum, parentibus natus sanis robustisque, facie cachectica lurida, abdominali, constitutione tenera, quae sartorum esse solet. Aetas juvenilis nullis affectionibus morbosis agitabatur. Anno vitae vicesimo coitu impuro gonorrhoeam adscivit, qua usu mercurii, quod e verbis aegroti colligere licet, post plures menses demum liberabatur. Post annos aliquot scabie infectus inunctionibus haud dubie sulphuratis in integrum restitutus est. Aetas virilis et ineunte plethora abdominali, quae praecipue haemorrhoidum fluxu irregulari manifestabatur, et turbis simul rheumaticis et catarrhalibus membranarum mucosarum insignis est. Nova infectione exorta, aegrotus per plures menses curationi mercuriali antisyphiliticae submittebatur; certa vero signa syphilidis universalis erui non poterant. Dispositio corporis ad affectionem rheumaticam et catarrhalem procedente tempore magis magisque increvit. Aegrotus doloribus totum corpus pervagantibus et coryza vexabatur, quibus molestiis post aliquot dies liberabatur. Mense Martio anni millesimi octingentesimi tricesimi quinti, tempestate humida

atque frigida, quum in eo esset, ut domicilium mutaret, sub dio commorari coactus, refrigerium subiit. Post meridiem animi deliquio correptus, in domum propinquam ferebatur, ubi in lecto collocatus horripilationibus et aestu, quem sudor insequebatur, vexatus est. Sub vesperam amici aegrotum domum deferre conabantur, quod tantum curru adhibito fieri poterat. Die sequenti aegrotus maxime obstupuit, genu videns summopere tumidum, cujus formam antea nullo modo fuisse mutatam, directe contendit; plurimum enim attentionis ad extremitatem sese advertisse dixit, quod dolores rheumaticos atque debilitatem jam prius in ea senserit. Intumescentia elastica erat, aequabiliter per genu diffusa, calida, integumenta absque rubore; sudoribus erumpentibus largis affectio rheumatico-catarrhalis evanuit, intumescentia autem genu nihil diminuta est. Ex illo tempore curatio strenua atque continua instituta non est, nunc hirudines applicatae, nunc inunctiones factae, at sine fructu. Intumescentia eo tempore, quo aeger in nosocomium Caritatis receptus est, magnitudinem capitis infantilis superavit, incepit a tuberositate tibiae, supra articulum genu usque ad partem inferiorem femoris progrediens, ubique fere elastica fuit, passim autem fluctuationis sensus fefellit. Flexo genu crepitus auditur, mobilitas genu haud impedita ac sine dolore.

Supra genu satis profunde corpuscula, digitis admotis animadvertis, inferiorem femoris partem atque tibiam humidas vides, quae intumescentia ossibus ipsis insidet; patella neque forma neque magnitudine mu-

tata apparet. Valetudo aegroti, excepta diathesi rheumatica atque catarrhali, eo tempore, quo in nosocomium receptus est, prosperrima erat; habituales pedum sudores nunquam exstitisse aeger contendit. Momentis illis ex constitutione universa collectis adesse dico plethoram abdominalem venosam atque dispositionem ad catarrhales et rheumaticas affectiones; praeterea tumorem subito ortum initio quidem fuisse localem, per cachexiam universalem autem gradum ingentem obtinuisse, opinor. Injuriae supra memoratae, quibus aeger mutaturus domicilium se committere cogebatur, origo subitanea et descriptio intumescentiae, quam aegrotus dedit, nos certiores reddunt, malum hocce initio nil aliud fuisse, nisi hydropem bursarum mucosarum, quae genu circumdant. Hoc malum in homine sano per solam naturam esset sublatum, in homine autem rheumatismo, syphilide et longiore usu mercurii fracto subphlogosin periostei et bursarum mucosarum, quae hisce affectionibus in dispositionem morbosam conjectae erant, protulisse, veresimillimum erat. Talem subphlogosin statim exsudatio liquoris albuminosi excipit, ex quo concrementa formantur, nimirum corpuscula illa, quae supra genu tanguntur; in periosteo magis exsudatio oritur materiarum plasticae indolis, quibus hypertrophia ossis inducitur.

P r o g n o s i s ob cachexiam universalem, ob partes peccantes, praecipue periosteum, nec non ob gradum morbi majorem dubia auguranda est.

C u r a t i o. Ad instaurandam valetudinem praecipue ea medicamina eligenda sunt, quae et in sta-

tum localem et in morbum universalem agere possint: laconica, embrocationes genu, interne antisyphilitica, exiguam sanationis spem praebuerunt, neque hactenus valetudinem redintegrarunt.

VITA.

Ego, Bernardus Martzeller, fidei catholicae addictus, Capelleni anno MDCCCXIII, patre Francisco Josepho Martzeller, mercatore, matre Anna Margaretha, e gente Broeckmann, natus sum, parentes longe dilectissimos divina providentia hucusque salvos mihi servavit.

Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium, quod Dorstenae Rectore Clar. Wolfgang Kanne floret, per tres annos et dimidium frequentavi. Dein Monasterium profectus, Gymnasii, quod ibidem Rectore Ill. Professore Nadermann floret, per annum et dimidium alumnus fui. Ad classem superiorem provectus, per aliquod tempus studiis valedixi. Anno MDCCCXXXII. almam universitatem Rhenano-Borussicam Bonnensem petii, ubi a Rectore Magnifico Walther in numerum civium academicorum receptus atque a Decano Spectatissimo Harles medicinae vacantibus adscriptus sum. Maturitatis testimonio munitus praelectionibus hisce interfui:

De anatomia generali et universali Ill. Mayer et Ill. Weber, qui quoque in cadaveribus secandis mihi duces fuere; Ill. Mayer de anatomia comparata, atque physiologia; Dr. Bobrick de logice et psychologia; Ill. G. Bischoff de physice theoretica et experimentali et de chemia; Ill. Treviranus de

botanice; Ill. **Nees ab Esenbeck** de plantis officinalibus; Ill. Mueller de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Kilian de arte obstetricia, tam theoretica quam practica; Ill. Naumann de therapia speciali; Ill. Harles de materia medica, therapia universali et Hippocratis libris; Ill. Wutzer de pathologia et therapia morborum chirurgicorum et de fascias rite applicandi arte, nec non de operationibus in cadavere rite instituendis. Clinico chirurgico quod directore Wutzer floret, per annum interfui. Clinicum therapeuticum, quod Ill. Nasse moderatur, per annum dimidium auscultando, per dimidium practicando frequentavi.

His peractis auctumno anni **MDCCCXXXV.** Halam profectus, ibique per annum dimidium commoratus sum. Ill. Krukenberg, t. t. Decano Spectabili, nomen dedi.

Clinicum therapeuticum, quod sub auspiciis Ill. Krukenberg floret, per semestre hibernum adii. Clinico chirurgico, quod Ill. Blasius regit, per annum dimidium interfui.

Dein hanc almam musarum sedem petii et ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Mueller, t. t. Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Hic in nosocomio Caritatis clinicum medicum duce Ill. Bartels, clinicum chirurgicum duce Ill. Praeside Rust et Cel. Dieffenbach, clinicum ophthalmiatricum duce Ill. Juengken frequentavi. Artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam ab Ill. Kluge accepi.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias habeo maximas, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Laparotomia in intus susceptione non omnino rejicienda.
2. Iridectomia ad pupillam artificialem formandam ceteris methodis praeferenda.
3. Lithotritia lithotomiae interdum praeferenda.
4. Hymenis neque absentia neque praesentia vel prostratae vel integrae virginitatis criterium offert.